

indicat, quæ dicit : *Qui offert sacrificium de rapina pauperis, tanquam si quis victimet filium in conspectu patris sui (Eccl. xxxiii, 24)*. Sicut enim interfectio filii atque effusio sanguinis ejus coram oculis patris qui genuit eum placere non potest : ita omnipotenti Deo oblatio de malis acquisita. Hinc per Isaiam de talibus dicitur : *Qui offert oblationem de substantia pauperis, quasi qui sanguinem suillum offerat, qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo (Isa. lxxvi, 3)*. Nihil certe in Veteri Testamento tam odibile, quam oblatio sanguinis suilli. Nihil tamen magis execrabile in Novo et Veteri, quam benedicere idolo, et tamen misericordia de rapinis pauperum oblata his merito comparatur. Quo contra sancta Scriptura præcipit dicens : *Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere (Tob. iv, 7)* : ex substantia enim, inquit, tua, non ex aliena ; quia sicut ex tua Dei clementiam invenis, ita ex aliena iram incurris.

16. Apie autem hoc in loco illud etiam occurrit quod memoriæ deluisse cognosco. Quia nonnulli ex justis quidem laboribus atque redditibus præparant quæ omnipotenti Deo offerant : in proprios tamen usus male acquisita assumunt, quibus dicendum est quia quanvis putentur justa, non tamen possunt placere summo Bono illorum munera, qui non studuerint immaculatam servare vitam. Quid enim pretiosius conditori nostro anima nostra ? An dona nostra ? Quod si anima sorduerit interius, nunquid munus aliud exterius placebit ? Restat igitur ut nihil ex iniquitate largitori vestro offeratis, nihil ex malo usu vestro assumatis, sed ex justis laboribus ac justis redditibus, et illi offeratis et vos vivatis. Restat etiam ut sit res temporalis in usu, solus ille qui vos creavit et bona temporalia præparavit in desiderio, ut cum transierint illa quæ dedit, perveniatis ad illum qui dedit, cum quo sine fine gaudeatis, sine fine regnetis, in cujus regno sicut sol fulgeatis, ut lilia et rosæ vernantes redoleatis, omnibus divitiis

A perenniter affluatis, ubi sanctis Deumque timentibus civitas præparata est, cujus fundamentum omnium lapidum pretiosorum ornatus subsistunt, quæ habet portas ex singulis margaritis, cujus platea ex auro mundissimo constat, per cujus medium flumen aquæ vitæ decurrit ex utraque parte fluminis, lignum vitæ afferens fructus duodecim per menses duodecim, ubi manna absconsam et panis angelorum edentibus datur ; qui sic saturitatem affert, ut nunquam fastidium inferat ; sic esuriam tollit, ut nunquam edenti cupiditatem adimat ; ubi nullus sole, nullus luna atque lucerna indigebit, quia nox ibi non erit, et Dominus Deus omnipotens lumen omnium erit. Ab illa autem luce, quam tunc sancti videbunt, hæc quam modo videmus lumen accepit, longe eminentior, longe præstantior quam ista, quia illa creatrix, ista creata. Illa lux mentium, hæc lux corporum. Non ergo illa talis qualem videre consuevimus oculis carnis ; sed nec illa bona quæ præmisimus talia erunt, qualia vel videre in hac vita, vel audire, vel cogitare aliquis potest ; sed multo excellentiora, multoque beatiora, quia, ut Scriptura ait : *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (I Cor. ii, 9)*. Illam igitur inquirete, illam desiderate, ad illam mentis desiderio tendite. Ego certe qui nullum adulationibus decipere audeo, nulli quod utile est subtrahere quæro, quia hæc quæ promissa sunt, non contra avaros, sed contra avaritiam ; non contra naturam, sed contra vitium protuli. *Quod melius consilium dare possum non invenio, quique etsi in extirpatione cupiditatis totum ut potui laborem exhibui, tamen octoginta et amplius Scripturarum testimoniis, quasi quibusdam ictibus surculos ejus incidendo percutiens, a mercede vacuus non ero, fidelem retinens promissorem mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

SERMO DE LECTIONE EVANGELICA,

EDITUS A DOMINO AUBERTO PRESBYTERO ATQUE ABBATE, IN PURIFICATIONE S. MARIE.

(Ex duobus Mss., uno S. Germani a Pratis, altero Floriacensi, apud Martene ampliss. Coll. t. IX.)

1. Subtiliter a fidelibus quæ sit hujus diei festivitas perpendatur ; eo devotionis affectu eam celebrandam suscipient, quo dominicæ nativitatis, circumcisionis atque apparitionis solemnities sunt obsecuti. Illius enim est ista solemnitas cujus et illa, sed nec minor ista quam illa : quod utique in hoc sermone apertis monstrabimus documentis. Hujus quippe diei solemnitas, sicut a quibusdam ignoratur, sic a multis præ cæteris anni solemnitatibus honoratior habetur : maxime autem eo loco quo primatum Ecclesia catholica in primo pastore sortita est. In tanta enim reverentia ab illis habetur, ut ea die cuncta

1) civitatis turba in unum collecta, immensis cereorum luminibus coruscaus, missarum solemnities concelebrat, nullusque aditum publicæ stationis intret, qui lumen manibus non tenuerit, tanquam scilicet Dominum in templum oblaturi, imo etiam suscepturi, et fidei lumen quæ interius fulgeat, exterius oblationis suæ religione demonstrant.

2. Hodie namque juxta legem atque Evangelium, præactis a nativitate Christi quadraginta diebus, in templo est a parentibus idem Dominus præsentatus. Hodie a sancto Simeone susceptus, Patrique cum sacris oblatibus muneribus. Hodie re-temptionem Is-

rael expectantibus ab eodem Simeone et Anna publice est prædicatus. O quam pium spectaculum, quo non nisi pii delectari probantur! Stat hic virgo et Mater, non cujuscunque, sed Dei. Suscipitur hinc infantulus, parvus virginis filius, cujus divinitatem non capit mundus. Occurrunt hinc inde prophætæ, atque uterque sexus de puero prophetat. Offeritur oblatio pro puero, non tamen quæ delicta emundet, sed quæ sacramenta declaret. Et quia hujus diei præconium attollere cupio, libet ipsam evangelicam lectionem colloquendo transcurrere, in qua ista cognosco narrari, quatenus ad ea quæ dico illa respondeat; imo ad ea quæ illa narrat vox exhortationis meæ respondeat. Denique Lucas evangelista veritatis historiam de Christi incarnatione plenius atque ordinatus cæteris evangelistis exsequens, post annuntiationem ejus ab angelo factam, post nativitatem angelorum vocibus declaratam, post circumcisionem octavi diei in domo parentum, hæc in ordine sequitur dicens:

3. *Postquam impleti sunt dies purgationis matris ejus, secundum legem Moyti, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur (Luc. ii, 21).* Cunctis fidelibus liquet nequaquam Redemptoris matrem ex ejus nativitate maculam contraxisse, qua illorum dierum spatio, a sacris ædibus abstinens, purgaretur, quæ sine humana concupiscentia, sine humano concubitu, virgo concepit, sine aliqua carnis corruptione virgo peperit, et sine fine virgo permansit; ac plus hoc nec masculus ex ea natus vulvam ejus aperuit. Sed hoc juxta legis narrationem evangelista contexens, claudit impiis sacramentum divinæ incarnationis, matremque legem observantem introducit. Sed nec mirum, si mater observaverit legem, quam ejus Filius non venerat solvere, sed adimplere. Sciebat enim quo ordine conceperat, quo usu pepererat, et quis esset quem genuerat. Sed legem communem observans, exspectavit purgationis diem, celavit Filii majestatem. Hinc est quod eum in templo duodecim annorum inter doctores legis inveniens, filium Joseph vocat dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te (Luc. ii, 48)*, quem procul dubio sciebat se sine concubitu Joseph concepsisse, sine corruptione virginali edidisse. Sed cur abscondit conceptionis ac nativitatis illius sacramentum, quem novit Deum immensum? nunquidnam quia invidit aliis, quem ad templum deferens, sancti senis tradidit manibus? Absit. Sed ut prophetæ spiritu repleta, Redemptorem mundi impiis non aperiret. Sciebat enim jam tunc gratia plena, spiritu divinitatis afflata, quia si hunc principes hujus sæculi cognovissent, nunquam pro nostra salute crucifixissent. Offer ergo, beatissima Virgo, tanquam legem observans, in templo quem edidisti, ut non omnibus, sed paucis reveletur. Quis est quem genuisti? appareat interim humilis, lapis abscissus de monte sine manibus, ut reproberetur ab ædificantibus,

A usquequo statuum pedibus percutiens, crescat in montem magnum, impleatque universum orbem terrarum. O quam parvus! O quam magnus est quem genuisti! Parvus in humanitate, magnus in divinitate. Parvus in regno Judæorum, magnus in regno gentium. Sed non ab omnibus in regno Judæorum parvus æstimatus est. Nam et ipsa quæ hunc peperisti, ex ipso populo Israel in virgine crevisti. Virga enim de radice Jesse surrexisti, et floruisti virga Aaron, frondiisti et nucem peperisti. Et quia præ omnibus immensitatem ejus agnovisti, quem tam parvissimum ex te natum vidisti, procul dubio quem infantem genuisti, Deum omnipotentem tremens adorasti, adorans tremuisti; quæ tamen secundum humanitatem Filium recognovisti, lactasti, fovisti, aluisti. Quis putas nobis possit indicare in te hujusmodi obsequia, animi tui sensum, o beatissima Virgo, cum hinc cerneres ex te natum tantillum infantem, illinc attenderes Deum immensum? hinc creatum, illinc creatorem; hinc infirmum, illinc fortissimum; hinc alendum, illinc alentem; hinc non loquentem, illinc angelos docentem? Quis, inquam, pectoris arcana nobis reserare valeat, quibus modis cogitatum ad utraque flectebas, cum unum eundemque Deum et hominis Filium manibus tenens, hinc adorares ut Dominum, illinc osculareris ut parvulum? Quis ad tam ineffabile miraculum non obstupescat? quis non pene elinguis fiat? Generat puella suum et omnium creatorem, portat suum et omnium rectorem. O admirandum spectaculum, ad quod non solum humana, verum etiam angelica obstupescit natura!

4. Ad hoc, fratres charissimi, fidei oculos erigite, ad hoc pietatis affectum convertite. Ibi Christus suscipite pro vobis in carne humilitem; sed adorate in sua divinitate Deum excelsum. Amplectimini parvulum, sed cogitate immensum. Jam vero, dilectissimi, si quæritur quid mystice significatum fuerit in eo quod Redemptor noster a matre, a parentibus ex propria civitate in Jerusalem ad templum Domini se portari voluit, invenimus ipsam gloriosam matrem et virginem, ejusque propinquos figuram gessisse illius Ecclesiæ quæ ex Judæa in apostolis credit. Quando enim Ecclesia non virgo, cujus membra Apostolus affatur dicens: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo (11 Cor. xi, 2)*? Quando ipsa non mater, de qua per Psalmistam dicitur: *Mater Sion dicet homo*; et Dominus in Evangelio: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, soror, et mater est (Matth. xxi, 40)*? Quando electi non propinqui, qui fratres et sorores sunt appellati? Mater itaque et propinqui Redemptorem nostrum a Nazareth in Jerusalem ad templum Domini deferunt, quia primitiva illa in primis discipulis Ecclesia a Judæis repulsa, ejusdem Redemptoris dispensationem ad notitiam gentium perduxit. Ipsa enim Ecclesia non solum ex gentibus, verum etiam ex Judæis, Jerusalem, id est Visio pacis, recte vocatur, de qua per Psalmistam dicitur: *Jerusalem*

quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in A
 idipsum (Psal. cxxi, 5). Ipsa est et templum. Nunc
 per Paulum fidelibus dicitur: *Templum Domini san-*
ctum est, quod estis vos (I Cor. iii, 17). Ac per hos
 cum apostoli ex Judæa Christum annuntiantes, veniunt ad gentes, nimirum et Jerusalem ad Jerusalem
 convenit, et templum ad templum occurrit, cum hi
 omnes una sint Jerusalem civitas, unum et templum. In
 hac itaque civitate et templo ab apostolis oblati Christi
 suscipitur. Unde et ipsa Ecclesia Psalmistæ voce
 Deo Patri loquitur dicens: *Suscepimus, Deus, mis-*
ericordiam tuam in medio templi tui (Psal. xlvi, 10),
 subaudis in medio Ecclesiæ, quæ est templum tuum.
 Sive autem secundum historiam, sive juxta mysti-
 cum intellectum, cur Christus a parentibus ad san-
 ctam civitatem et templum ducatur, causa manifestatur, cum subditur:

5. *Ut darent hostias, secundum quod dictum est in*
lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum
(Luc. ii, 24). Præceptum quidem legis fuerat,
 ut si cui forte agnus defuisset, et unum horum, id
 est aut par turturum, aut duos pullos columbarum
 invenisset, Deo in oblationem filii offerret, nec præ-
 judicaretur ex altero, qui unum quodlibet horum
 obtulisset. Sed quia utraque Christi Ecclesiæque
 sacramenta significant, credendum est utrumque ad
 sacrificium matrem invenisse atque obtulisse. Den-
 que in hac oblatione avium illa præfigurabatur
 oblatio quæ pro salute mundi oblata est vespera
 diei, Domini videlicet passio, per quam sumus re-
 conciliati Deo. De hac quippe hostia per Paulum
 fidelibus dicitur: *Ambulate in dilectione, sicut et*
Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis
oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (Eph.
 v, 2). Et rursus: *Qui dilexit me, inquit, et tradidit*
semetipsum pro me (Gal. ii, 20). Quia vero omnes
 electi membra sunt Christi, in turture scilicet desi-
 gnantur turtures, atque in columba columbæ. Desi-
 gnat etiam hæc avium oblatio mortificationem
 electorum, quibus per eundem apostolum dicitur:
Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis cor-
pora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem
(Rom. xii, 1). Sed nulla esse potest accepta Deo
 mortificationis oblatio, in quibus non fuerit veræ
 fidei castitas, veræque charitatis concordia. Proinde
 non sine causa sacrificium quod pro Domino mystice
 oblatum perhibetur, ex turturibus et columbis fuisse
 narratur. In turture enim castitas invenitur, et in
 columba charitas commendatur. Turtur namque
 intemeratam servat uni viro fidem; columba vero
 aliarum colibitantium non deserit unitatem. Catho-
 licus igitur Christianus tunc vero spiritualis turtur
 efficitur, si veram Trinitatis fidem firma credulitate
 conservet, et hæreticæ pravitate sensum tanquam
 fornicationis inquinamenta repudiat. Tunc vero erit
 columba, si longaminitè usque ad finem in catho-
 lica societate permaneat, et contra tentationum
 scandala immobili firmitate persistat, ut nec hæretica
 fornicatio corrumpat in corde fidei castitatem, nec

amara dissensio ecclesiasticæ charitatis dissipet uni-
 tatem. Hæc enim est Ecclesia catholica, quæ fidem
 uni Domino tanquam legitimo viro conservat, et
 congregationem multorum in fide multiplicat. Sequitur

6. *Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Si-*
meon, et homo iste justus et timoratus, expectans con-
solationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo, et
responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se
mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit
in Spiritu in templum (Luc. ii, 25). Nihil minus de
 sanctitate isti specialiter ascribitur homini, qui et in
 Jerusalem, id est in Visione pacis commoratus, et
 fidei operatione justus, et reverentia timoratus, et
 Israelis consolatione attonitus, et Spiritu sancto re-
 pletus, ejusque responsione de incarnati Verbi vi-
 sione roboratus fuisse perhibetur. O quam ardenti
 desiderio homo iste expectabat, secundum Spiritus
 sancti promissionem, videre in carne Redemptorem!
 Quæ putamus fuerit instantia orationis ejus, qua
 divino responso meruit firmari de his quæ petebat?
 Quæ erant ejus gemituum continuata verba in sancta
 deprecatione? Non enim in petendo cessavit, us-
 que responsum acciperet super his quæ poscebat.
 Fuere siquidem in retroactis temporibus multi simili
 desiderio accensi, Domino attestante, qui ad disci-
 pulos ait: *Multi reges et prophetae voluerunt videre*
quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ audiitis,
et non audierunt (Luc. x, 24); sed ex illis hoc isti
 soli concessum est, qui in plenitudine temporis hor-
 um ultimus apparuit. Sed si vigilantè studio subse-
 quentium sanctorum attendimus desiderium, quibus
 Christus fuit vivere et mori lucrum, invenimus eos
 non minoris anxietatis ardore divinitatem ejusdem
 Salvatoris intueri velle, quam ille concupivit inspi-
 cere carnem. Hinc Paulus dicit: *Cupto dissolvi et*
esse cum Christo (Psal. i, 23). Hinc Psalmista ex
 persona Ecclesiæ dicit: *Sitivit anima mea ad Deum*
vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei
(Psal. xli, 3). Quis ergo hinc jam non videat in uno
 Simeone justo cunctos significari electos, qui nunc
 et justè ex fide atque operatione, et timorati ex fu-
 tura expectatione, et attoniti inveniuntur ex ventura
 consolatione? In quibus etiam Spiritus sanctus inesse
 cognoscitur, quia et per Apostolum dicitur: *Charitas*
Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum san-
ctum qui datus est. Et rursus fidelibus dicit: *Corpora*
vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis ex
Deo (Rom. v, 5). Quique etiam responsum accipiant
 a Spiritu sancto non visuros se mortem, nisi prius
 videant Christum Domini, quia in hac adhuc cor-
 ruptibili vita, ejusdem Spiritus sancti gratia reve-
 lante, apertis fidei oculis, eum qui se cum illis usque
 in finem sæculi mansurum esse promissit, aspiciunt,
 non jam carne parvulum, sed divinitate immeasum.
 Qui etiam cum Paulo dicunt: *Et si noveramus Chri-*
stum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.
 Habitant etiam isti in Jerusalem, atque in spiritu in
 templum, quo Christus introducit, veniunt. Ipsi

enim sunt Jerusalem, qui habitant in Jerusalem. A Breviter, fratres, ista percurramus, ne dum quæ sunt hujus diei sacramenta, quodque sanctum puerique præconium indicare studemus, cuilibet in fastidium veniamus. Sequitur :

Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit eum, et dixit : Nunc dimittis, Domine, servum tuum, secundum verbum tuum, in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum (Luc. II, 27). Hinc unius hinc multorum, imo etiam omnium adimpletur expectatio justorum. Sed dicamus prius de uno, et sic loquamur de omnibus. Cupimus enim ad hoc studium nostrum inflectere, ut quod de uno dicitur, de omnibus veraciter sentiat. Ecce dum specialiter de uno venerabili senecupimus loqui, occurrit prædicanda Virginis prudentia, non humana industria fulta, sed Spiritu Divinitatis afflata, quæ Filium oblatura veniens, suæque naturæ humilitatem servans, prophetæ manibus tradidit offerendum, non ignara utique quis esset, cujus manibus Deum hominemque tradebat sacrificio dedicandum. Offert autem Dominum prophetarum prophetæ, offert unicum uni, imo omnibus in uno, quæ omnibus eundem peperit Salvatorem. Non enim desinit huc usque offerre quem genuit, cum suis sanctis intercessionibus eundem redemptorem electis uniri facit; et, ut verum fatear, materno affectu id ipsum piissima facit. Omnes enim filios deputat, quos divina gratia Christo consociat. Quando enim non ipsa mater electorum, quæ fratrem genuit eorum? Si, inquam, Christus credentium frater, cur non ipsa quæ Christum genuit sit credentium mater. Quamobrem obsecro, mi beatissima Virgo, offer nobis Christum piis suffragiis, quæ nescis invidere filiis, sed nec attendas filiorum injurias, a quibus non ut dignum est honoraris. Tolerat enim irreverentiam filiorum, quæ amore vincitur generationis. Fove ergo etsi tantis meritis indignos piis orationibus, quos in Uno genuisti. Deprecare unicum Filium pro excessibus multorum.

8. Sed jam, fratres charissimi, Christum in ulnas suscipiens, quid unus specialiter Simeon dicat audiamus. Ait enim : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace ; quia viderunt oculi mei salutare tuum (Luc. II, 29)*, ac si diceret : Longa me expectatione fatigasti, diu reliquisti; sed tandem viso quem expectavi, jam de humanæ vitæ scandalis in pace dimittis. Dimittis in pace, quia secundum promissionem tuam per incarnati Verbi mysterium, solutis inimicitias, tibi merui reconciliari. Dimittis in pace, quia video pacem. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum. Hoc denique et omnes electi dicunt, et qui Christum in ulnas suscipiunt, qui fidei oculis salutare Dei conspiciunt. Quid enim est Christum in ulnas suscipere, nisi piis hunc operibus in membris amplecti? Per ulnas enim, id est brachia, virtus operationis exprimitur. Cum enim in alio esurientem

Christum satiant, et in alio sitientem potant, et in alio hospitem suscipiunt, et in alio nudum operiunt, et in alio infirmum vel in carcere positum visitant, his procul dubio devotis actionibus tanquam brachiis, quotidie eundem ipsum puerum amplectuntur. Et quia hæc agentes illum se in his suscipere plena fide cognoscunt, illum se in his videre non dubitant, qui dixit : *Et quandiu fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis*, atque eisdem operibus, ut ad pacem Dei redeant, et peccati scandalo absolvi se credunt, recte credunt. Recte idem Simeon exclamat dicens : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Ac si electi dicant : Ideo nos a peccati scandalo promissione tua absolvens, jam in pace reconciliatos passibus amoris propinquare celestibus facis, quia fidei oculis salutare tuum, id est Dominum Jesum Christum in membris ejus intueri, eumque piis operibus amplecti meruimus. De quo adhuc sive ille, sive isti, Deo Patri dicunt : *Quod præparasti ante faciem omnium populorum.* Nisi a toto pars intelligenda sit populorum, quæ Salvatorem in carne viderit, juxta litteram ratio non stabit, quia eum nec carnis, nec fidei oculis omnes populi conspexerunt. Ante faciem ergo omnium populorum hoc salutare tuum dicitur præparatum, quia ex omnibus populis in eum crediderunt, quia eum credentes fidei oculis aspexerunt. Nam quod Dominus dicit Thomæ : *Quia vidisti me credidisti, beati qui non viderunt et crediderunt (Joan. XX, 29)*, hoc de visione corporali locutus est, de quo et subditur : *Lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuæ Israel.* Hoc itaque lumine de tenebris revelate, et hoc inventæ, hoc illustratæ sunt gentes, sicut scriptum est : *Gentium populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Seditibus in regione umbræ mortis lux orta est eis (Isa. IX, 2).* De hoc lumine Joannes evangelista testatur dicens : *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. I, 9).* De hoc in Epistola sua dicit : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ (I Joan. I, 5).* De hoc idem lumine in Evangelio ait : *Lumen venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem (Joan. III, 19).* Et iterum : *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi (Joan. IX, 5).* Quodque cum sit etiam gloriæ gentium, in eo ad gloriam Israelis dicitur præparatum, quia sive in patriarchis ac prophetis, atque apostolis, imo etiam in ipso omnium capite Christo, sive in eloquiis Dei, amplius gens illa quam gentes gloriosa monstratur, Apostolo attestante, quia ait : *Quid ergo amplius est Judæo? aut quæ utilitas circumcissionis? multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illi eloquia Dei (Rom. III, 1)* Et rursus : *Et quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen (Luc. II, 35).* Sequitur :

9. *Et erat Joseph, et Maria mater ejus, mirantes super his quæ dicebantur.* Quibus mirantibus etiam nos ipsi miramur, cur ipsi sint super his quæ de illo a propheta sancto dicebantur, mirati. Nunquid enim Joseph jam in somniis ab angelo non audierat: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet enim filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (Matth. i, 20).* Nunquid et ipsa sacratissima virgo, quæ salva virginitate filium se genuisse sciebat, priusquam pareret vel conciperet, ab angelo non audierat: *Ave, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu inter mulieres. Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, idcirco et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (Luc. i, 28)?* Quid ergo mirabantur super his quæ dicebantur de illo, nisi quia cæteris mirantibus, sacramentum impia occultant? quid sibi velint talia quæ de tantillo infantulo ab homine sene dicuntur, et ipsi mirantur? Sed audiant adhuc de illo majora; denique sequitur:

10. *Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur (Luc. ii, 34).* In una Redemptoris nostri Dei hominisque personam perfectam Dei, perfectam hominis inesse confitemur naturam. Ex una quidem Dominum, ex altera servum; ex una fortem, ex altera infirmum; ex una magnum, ex altera parvum; ex una creantem, ex altera creatum; ex una pascentem, ex altera esurientem; ex una recreantem, ex altera sitientem; ex una miraculis coruscantem, ex altera injuriis succumbentem; ex una vivificantem, ex altera morientem; ex una suscitantem, ex altera hunc prædicamus suscitatum; et cum aliud sit in eo Dominus, aliud servus; aliud fortis, aliud infirmus; aliud magus, aliud parvus; aliud creans, aliud creatus; aliud pascens, aliud esuriens; aliud recreans, aliud sitiens; aliud miraculis coruscans, aliud injuriis succumbens; aliud vivificans, aliud moriens; aliud resuscitans, aliud resuscitatus; non tamen alius Dominus, alius servus; alius fortis, alius infirmus; alius magus, alius parvus; alius creans, alius creatus; alius pascens, alius esuriens; alius recreans, alius sitiens; alius miraculis coruscans, alius injuriis succumbens; alius vivificans, alius moriens, alius resuscitans, et alius resuscitatus; sed unus idemque Dei atque hominis Filius, ex uno, ut dictum est, Dominus, ex altero servus; ex uno fortis, ex altero infirmus; ex uno magus, ex altero parvus; ex uno creans, ex altero creatus; ex uno pascens, ex altero esuriens; ex uno recreans, ex altero sitiens; ex uno miraculis coruscans, ex altero injuriis succumbens; ex uno vivificans, ex altero moriens; ex uno resuscitans, ex altero resuscitatus; qui ante oculos mortalium positus, ex uno venerabatur ut Deus, ex altero despiciabatur ut homo. Denique

cum hunc Judæorum populus cerneret de quibusque panibus tot millia hominum pascentem, infirmos curantem, leprosos mundantem et mortuos suscitantem, Deum esse arbitrabantur. Rursum cum eundem aspicerent esurientem, sitientem, lassentem, dormientem atque injuriis succumbentem, purum esse hominem suspicabantur; et hæc quidem apud incertas turbas, sed non apud discipulos. Neque enim ita in cordibus eorum variabatur, qui illius assiduis privatisque eloquiis fruebatur, quibus et ab ipso dicitur: *Vobis datum est nosse mysterium Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant (Luc. viii, 10).* At ubi venturus est ad passionem mortis, perit fides, ablata est omnium spes, denique, ut evangelista testatur, *omnes eo relicto fugerunt (Matth. xxvi, 56).* Ex quibus dum unus vincitum a longe sequitur, ad atrium perveniens, eundem se cognovisse denegat. Et quis in mortis passione illo ruente non rueret, cum præcipuus ejus amator, unius ancillæ voce territus, non semel, sed ter abnegaverit? Sed illo in carne a mortuis resurgente, resurrexit et anima discipuli. Utrumque autem ante passionem ejus, eadem qua tradebatur nocte, in discipulis somno perfidæ lapsis, ac suscitatione ejusdem redemptoris designatum est. Mors ergo ejus facta est ruina multorum. Dicatur itaque:

11. *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, ac si diceretur: Eo moriente multi ex stantibus ruent; eo resurgente, multi ex lapsis resurgent.* Quia vero illo moriente multi ruerunt, illo resurgente multi resurrexerunt, sed in eum qui ex mortuis resurrexit non omnes crediderunt, recte subjungitur: *Et in signum cui contradicetur.* Quod enim signum, ab aliorum notitiis abscondimus. Quid autem ante infidelium oculos aliud fuit caro Redemptoris, quam quoddam divinitatis ejus sigillum absconsionis? In signum itaque Redemptor noster positus fuit, sed cui, nisi illi cui contradictum fuit? Quæ causa contradixit? quid contradixit? cui contradixit? Ut autem tanquam interroganti cuilibet breviter respondeam: Quæ causa contradixit, nisi mors carnis? quid contradixit, nisi non esse Deum qui mori potuit ut homo? cui contradixit, nisi omni incredulo? quæ videlicet contradictio quibusdam in scandalum, quibusdam versa est in stultitiam, Apostolo attestante, qui ait: *Nos autem prædicavimus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (I Cor. i, 23).*

12. Sequitur itaque venerabilis senex justus ac propheta Dei et dicit matri Jesu: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes (Luc. ii, 35).* Solet nonnunquam in Scriptura sacra gladii nomine temporalis tribulatio figurari, Psalmista attestante, qui illatas a persecutoribus passiones in ipsos exoptat inflecti dicens: *Gladius eorum intret in corda ipsorum (Psalm. xxxvi, 15).* Hinc idem Psalmista de Joseph loquitur dicens: *Ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret*

verbum ejus (Psal. civ, 18), ac si diceret : Tandiu fuit in illa servitutis vel carceris tribulatione, donec illud quod futurum prædixerat eveniret. Sed nec aliud hoc loco per gladium intelligimus figurari. Quoniam autem multæ tribulationes animam transfoderint beatissimæ Virginis, illa tamen hic specialiter designatur, quæ, Domino in cruce moriente, materna viscera transfixit. Dicatur ergo eidem a sancto propheta : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Ac si diceretur : Maternis visceribus tribulationis gladio verberatis, videbis in cruce pendentem quem angelo nuntiantem virgo concepit, manente virginitate filium edidisti, quatenus per hoc factum et Judæorum exsultantium iniquitas, et discipulorum fugientium infirmitas denudetur. Denique illo in cruce pendente, Judæi præsentibus insultabant ut descenderet; apostoli fugientes de cruce illum descendere posse non credebant. Quæ dum fierent, necesse fuit materna piaque viscera ex ejusdem Redemptoris passione gladio tribulationis transfigi.

13. Sed jam ista, ut cœpimus, quid mystice significant breviter demonstramus. Quis enim intra sanctam Ecclesiam constitutus, non videat in morte Redemptoris nostri illos cadere, qui hunc aut solummodo hominem mortalem fuisse, aut veram carnem in passione vel resurrectione non habuisse asseverant? Et quis in ejus resurrectione non consideret illos resurgere, qui a perfidia malæ credulitatis divina gratia reparari, et in vera hunc carne, salva divinitatis suæ impassibilitate, veraciter passum, et in vera carne veraciter a sua majestate suscitatum affirmant? an non aliis in ruinam, aliis vero in resurrectionem Christus factus fuerat, cum Paulus de se suisque sociis diceret : *Christi bonus odor sumus Deo, et in his quæ pereunt, et in his qui salvi fiunt, et aliis odor mortis in moriem, aliis odor vitæ in vitam* (II Cor. ii, 15). De illis vero quibus humanitas carnis divinitatem abscondit Salvatoris, ita dicit : *Et si opertum est Evangelium nostrum, in his qui pereunt est opertum* (II Cor. iv, 3). Jam vero si devote, ut decet, attendamus, ipsam beatam Virginem, cujus animam gladius transfodisse perhibetur, typum Ecclesiæ prætendisse reperimus, cujus animam gladius pertransiit, scilicet verbum prædicationis. Quod enim per gladium prædicationis sanctæ figuretur, Paulus apostolus testatur dicens : *Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei* (Ephes. vi, 17)? Gladius enim animam Mariæ transverberat, quia verbum Dei electorum corda penetrat, penetrans ab errore mortificat, ab errore mortificans in veritatem vitæ commutat. *Ut revelentur, inquit, ex multis cordibus cogitationes* (Luc. ii, 35), ac si diceret : Idcirco divini verbi gladius sanctorum corda funditus ab errore mortificans in veritatis doctrinam commutat, ut dum quorundam vitia virtutesque loquendo examinant, uniusque loquuntur, intima sua manifestent. Hinc Paulus dicit : *Si omnes prophetent, intret autem quis*

infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus (I Cor. xiv, 23), occulta etiam cordis ejus manifesta fiunt, et ita cadens in terram adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus est in vobis. Qui autem essent isti prophetæ, ipse Paulus inferius aperuit, dicens : *Prophetæ duo vel tres dicant, et cæteri dijudicent* (I Cor. xiv, 29), oremus autem necesse est ut idem gladius noster corda transfigat, quatenus fidelium turbam, nobis prædicantibus, singulorum virtutes ac vitia exponentibus, uniuscuique interiora pateant. Sequitur :

11. *Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, et vivebat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc erat vidua usque ad annos octoginta quatuor; quæ non discedebat de templo, jejuniis et observationibus serviens nocte et die. Et hæc ipsa hora superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Jerusalem* (Luc. ii, 36). Hæc juxta historiam aperta sunt, nec habent aliquid obscuritatis, commendant autem castitatem beatæ mulieris, instantiam jejuniorum atque obsecrationum diei noctisque in templo Dei inhærentis; sed latent quædam in his Ecclesiæ sacramenta. Quid enim per Annam, quæ gratia Dei interpretatur, nisi electorum Ecclesia designatur? ad cujus membra Apostolus loquitur dicens : *Gratia salvi facti estis per fidem* (Ephes. ii, 8). Quæ bene etiam filia Phanuel de tribu Aser fuisse perhibetur, Phanuel quippe interpretatur facies Dei, Aser quippe vocatur beatus. Et qui alii per faciem Dei figurantur, nisi qui Spiritus sancti gratia repleti, ad cognitionem Dei humana corda primi perduxerunt? Quia enim per factem quilibet cognoscitur, jure facies Dei vocantur hi per quos cognitio divinitatis revelatur; quique non immerito Aser, id est beati vocantur, quia ad æternam paternitatem, sive per inspiratam interiorum naturalem, sive per datam exterius legem erudiri meruerunt. Unde scriptum est : *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (Psal. xciii, 12). In quibus verbis aperte monstratur, electorum Ecclesiam filiam esse patriarcharum ac prophetarum, quæ scilicet sive in spiritu, sive in verbo, recte prophetissa interpretatur, de qua adhuc subditur, *et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.* Et quis ejus alius est vir, nisi ille de quo per Isaiam prophetam dicitur : *In die illa apprehendent septem mulieres virum unum dicentes : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos. Aufer opprobrium nostrum* (Isa. lv, 1). Quis alius hujus est vir, nisi ille de quo in Joannis Apocalypsi dicitur : *Civitatem sanctam Jerusalem vidi descendentem de cælo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo* (Apoc. xxi, 2)? Quæ etiam antequam Christo sociaretur, ideo virgo vocabatur, vel quia tunc idola non colebat, vel certe quia non corrupta, sed infecunda erat. Tunc autem hanc sibi Christus univit, cum naturam humanam suscipiens, Evangelium exorsus fuit. Quod itaque annis septem

eum viro suo a virginitate vixisse describitur, tempus ejusdem prædicationis ipso septenario numero figuratim concluditur, in quo et septiformem Spiritus sancti gratiam ab ipso acceperit, et ipsa in septem mulieribus, vel septem Ecclesiis mystice viri meruit. Et quia illo ascendente ad cælos humanitatis ejus præsentia desolata est, jure etiam vidua remansisse narratur. Annon vidua recte vocatur, de qua per beatum Job, hæreticorum facta mentione, dicitur: *Pavit sterilem, quæ non parit, et viduæ bene non fecit (Job. xxiv, 21)*. Illud itaque gaudii tempus, quo præsentia viri in carne fruebatur; illudque tristitiæ, quo ejus præsentia Ecclesia desolata erat, idem vir ejus designans dicit: *Non possunt jejunare filii sponsi, quandiu cum illis est sponsus. Veniet tempus cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt (Matth. ix, 15)*. In numero autem octoginta quatuor annorum, quibus vidua esse describitur, totum tempus præsentis vitæ exprimitur. Legimus enim filios Israel usquequo terram repromissionis ingrederentur, quadraginta duas mansiones in itinere habuisse: quibus scilicet quid aliud quam peregrinatio vitæ præsentis figuratur, in qua eremi tribulationibus exercemur, usquequo ad terram viventium veniamus? Sed propter geminum Testamentum, Vetus scilicet et Novum, idem quadragenarius ac secundus numerus duplicatur, et sunt octoginta quatuor. Sicut enim propter utrumque Testamentum duodenarius numerus duplicatus in viginti quatuor senioribus, Ecclesiam designat, sic etiam propter eadem Testamenta quadragenarius numerus ac secundus duplicatus in octogenario quarto præsens Ecclesiæ tempus figurat, et quod ibi per mansiones, hoc hic explicat per annos. Utrumque enim concorditer peregrinationem ejusdem Ecclesiæ designat, de qua et bene subjungitur:

15. *Quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die*. Ipsa enim est templum, quæ et vidua jejuniis atque obsecrationibus serviens in templo, et quæ ablata sponsi sui corporali specie, quia hunc necdum corporis oculis intueri valet, ad nihil aliud magis quam ad jejunium et orationem vacat. Hinc Psalmista ait: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus (Psal. xli, 4)*? Digne itaque præmittit jejunia, et deinde obsecrationes jungit. Quæ enim esse potest deprecatio, ubi regnat comessatio? quæ esse potest obsecratio, ubi dominatur assidua potatio? Sed hæc dicens, cordis etiam vult intelligi jejunium, quo nisi quis ab immundis cogitationibus jejunare studeat, obsecrationibus Deo uniri non valet. Sive autem isto, sive illo jejunio, simulque orationibus fulta, die ac nocte servire describitur, sobaudit in prosperis et adversis, a bono opere non cessat. Sequitur:

16. *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Jerusalem, in civitatem suam Nazareth (Luc. n. 33)*. Hic jam figuratim ultima Judæorum conversio designatur, quando Enoch et Elia prædicantibus, Christus ad eos revertitur, peracta scilicet omnia in Jerusalem, id est in Ecclesia gentium secundum legem Domini, Novi videlicet Testamenti. Quasi enim peracto sacrificio, ab Jerusalem in civitatem suam Christus cum parentibus revertitur, cum adimpleta plenitudine gentium, novissime cum prædicatoribus sanctis ad eos colligendos ex quibus carnem suscepit regreditur. Sequitur:

17. *Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientia, et gratia Dei erat cum illo (Luc. ii, 40)*. Hæc de illo secundum humanitatem dicta sunt, non secundum divinitatem. Neque in sua natura crescit, in qua plenus est, sed in nostra, in qua paulo minus ab angelis minoratus est. Nec in sua confortatur, in qua omnium fortitudo est, in qua plenitudo sapientiæ est; sed in nostra, in qua pro nobis exinanitus est. Nec in sua gratia Dei indiget, in qua omnibus gratiam tribuit; sed in nostra, in qua ea quæ cum Patre habet accepit; quæ scilicet omnia ad melius, ad ejus corpus quod est Ecclesia, quam ad ipsum caput referri possunt. Usquequo enim illud consumetur quod Apostolus dicit: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli (Ephes. iv, 13)*. Quotidie crescit in fide puer Jesus, quotidie confortatur virtutibus puer Jesus, quotidie verbo sapientiæ adimpletur puer Jesus, quotidie gratia salvationis justificatur puer Jesus. Hæc de tanta diei hujus breviter diximus [solemnitate], hæc de tam mysticis sacramentis succincte transeurrimus, quia et prolixitatem evangelicæ lectionis attendimus, et ad hæc legenda horas breves habuimus.

18. De cætero dilectionem vestram admoneo, fratres charissimi, si tamen animos vestros hæc locutio fecit intentos, ut attendatis qua devotione hujus diei solemnitatem de reliquo celebrare debeatis. Non sit vile illud spectaculum, in quo Filius Virginis Deus et homo complectitur, in quo virgo et mater ostenditur, in quo prophetæ, imo prophetarum omnium expectatio adimpletur, in quo multa Ecclesiæ sacramenta declarantur, quod ipse cordibus vestris imprimere dignetur, qui hodierna die sanctum justumque Simeonem Spiritus sancti illustratione interius pulsans ad templum quo ipse a parentibus offerebatur docuit, imo certe compulit ire, qui cum Deo Patre et eodem Spiritu sancto æquali potestate, æquali virtute, æquali majestate, æquali æternitate vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.